

infamiam apud adstantes. Secundò quia non debet frui privilegio fori, qui forum recusat. Tertio, quia Parochus Sacramentum Eucharistiæ nedum periculo contemptus formalis exponeret, sed certò morali periculo traderet: contra autem contemptum formalem Sacramenti clamat Jus Naturale, Divinum, & Canonicum, quod prævalet juri naturali famæ infirmi. Non est enim bonum, panem Angelorum dare canibus.

Quartò, quia jus, quod haberet ad famam, esset tantum jus naturale, cui prævalet jus fidei, *ex tom. 2. num. 261.* Hinc Parochus teneretur eum revelare, utpotè hereticum formalem; quia jus naturale non excusat à denunciando hæreticum formalem, *tom. 2. num. 280.* Quod dico, etiamsi hæresim nunquam antea externaverit; nam externatio illa fuit facta animo hæreticali, non enim erat paratus corrigi. *Vide tom. 2. num. 282.*

Eadem ratione, si ancilla Turca fingens apud suos dominos se Christianam, accedat ad Confessarium petens absolutionem, ne manifestetur, Confessarius non potest eam absolvere, nec tenetur ad sigillum sacramentale; quia Confessio illa non est sacramentalis; eo maxime, quia mulier illa non habet Baptismum, qui est janua omnium Sacramentorum.

Scotus in 4. dist. 9. *quæst. unic. lit. A. B. C. D. Mastrius in Theol. Mor. dist. 12. q. 2. art. 3.* Tamb. in *Meth. Com. præcipue, cap. 4. & seqq.* Joan. la Cruz de *Euch. q. 5. Bulemb. lib. 6. tract. 3. cap. 2. art. 3.* Leander de *Præc. Eccl. Clericatus cap. 111.*

DE COMMUN. QUOT IDIANA

A Gunt D. Bonavent. in 4. dist. 12. q. 2. & Scotus in 4. dist. 24. q. unic. lit. K. Insuper adest Decretum tenoris sequentis:

DECRETUM.

SAC. Congr. Card. Sac. Concil. Trident. Interpretum de mandato Innoc. XI. circa Communionem quotidianam, & Confessionem venialium.

2931. Cum ad aures Sanctissimi D. N. fidedignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diocæsihus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceve, & simul affirmari, eandem quotidianam Communionem præceptam esse à Jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea thesa includam in crumena, aut fererò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares: alique in Communionem accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commis-

serit Sac. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, eadem Sacra Congregatio, prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens, quotidianive Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illum percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Misis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent. Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessæ: quæ cum humanis oculis scrutari non possumus; nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constiui. Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentia fructu, & ad pietatem processu, Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum salutis profuturum, id illis præscribere debent. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seridè admonent, tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiarum vacandum, puriorique mente ad Cælestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacra Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo à Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modò rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis suavitatem degullet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ verò puritate mentis enteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignè frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, operæ quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum præparatione commis-

nem

nem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiore, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini iudicii formidine discant Cælestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diocæsihus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & iudicii temperamento, alere debent, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentia parendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in summentibus augeantur: Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in Cælesti Regno se præmium est daturus, precatur Sac. Congr. ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur.

2932. Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, Communionem quotidianam esse de Jure Divino: doceant, in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam SS. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad exsistentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valcant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti.

2933. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur.

2934. Insuper admonent, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.

2935. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.

2936. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes fecus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque desitutam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrascentes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, fa-

cultate ipsi Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. CARD. COLUMNNA PRÆF.

S. Archiep. Bramac. Ep. Viterb. Secr.

Die 15. mensis Febr. 1679. suprad. Decr. affixum, & publicatum fuit, &c.

DE IV, & V PRÆCEPTO ECCLESIAE.

Non celebrare Nuptias tempor. prohib. Solvere decimas.

2937. **N**uptiæ, seu matrimonia, ex Trident. sess. 24. cap. 10. prohibentur fieri ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschalis inclusivè. Dicitur autem temporibus solum prohibentur solemnitates nuptiarum, adeoque possunt in illis sponsalia, ac matrimonia sine solemnitate celebrari, non tamen sine licentia Ordinarii. Item possunt in illis matrimonia antea contracta consumari; solum namque est prohibita solemnitas, & publica benedictio in Ecclesia. Mastrius *disp. 20. q. 2. num. 89.* Bonac. & alii. Clericatus *cap. 112.*

DECIMA

2638. **E**ST, quæ a bonorum debita Ministris Ecclesie in ipsorum subsidium, & sustentationem.

Solutio decimarum est facienda ex fructibus omnium rerum juxta locorum consuetudinem, que solet esse diversa. Obligat sub mortali, & ad restitutionem, nisi impotentia excuset, quia fit ob Ministrorum Ecclesie laborem ad fidelium utilitatem applicatorum, atque in recognitionem supremi domini Dei.

2939. Non solvere decimas propriè non est sacrilegium; quia non est violatio rei sacræ; nam decima est usus rei temporalis ex iustitia de bitis contrahit tamen ultra malitiam injustitiæ, malitiam irreligiositatis, seu irreverentiæ contra Deum; quia ut advertit D. Thom. 2. 2. *quæst. 87.* soluti decimarum est præcepta, & fit ob duos titulos, nimirum in sustentationem Ministrorum Ecclesie, & in recognitionem supremi domini Dei; ac proinde qui eas non solvit, duas malitias contrahit, injustitiæ contra iustitiam commutativam, & irreligiositatis contra Religionem.

Mastrius *disp. 12. q. 2. art. 4.* Leander de *Præc. Eccles. tract. 6.* Clericatus *cap. 113.*

PARS QUARTA.
DE SACRAMENTIS.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SACRAMENTUM.

2940. **E**X Divo August. Est, *signum rei Sacrae, seu forma visibilis invisibilis gratiae*; sed magis completè deñitur à Scoto: Est, *signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex institutione divina; efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.*

2941. Dicitur, *gratiam, vel effectum ejus gratuitum*; ob Sacramentum Eucharistiae, quod per prolationem formae supra materiam panis, & vini, non causat gratiam inhaerentem, sed effectum gratuitum, nempe gratiam per se subsistentem, qui est ipse Christus sub speciebus panis, & vini; gratia verò inhaerens non causatur, nisi postea, quando effectus gratuitus, videlicet Christus sub speciebus recipitur.

2942. Dicitur, *ex institutione divina*; quia Sacramenta novae legis non causant gratiam ex opere operantis, sed ex opere operato, idque ex institutione Christi; ad differentiam Sacramentorum veteris legis, quae non causant gratiam, nisi ex opere operantis, nempe ex dispositione operantis per constitutionem; & solum ex se causant quandam sanctitatem legalem externam, nempe idoneitatem ad hoc, vel illud faciendum, sine qua reputabantur immundi; figuratam tamen nostrae verae sanctitatis, & gratiae. Excepta Circumcissione, quae causabat gratiam, & debebat originale peccatum; at non ex vi, & efficacia sua, sed intuitu professionis fidei, & Christi venturi; per quod Circumcisio differt à Sacramentis novae legis; quia haec causant gratiam independentem ab omni figura, nec ex merito, aut dispositione operantis, sed ex vi, & efficacia propria, & ex meritis exhibitis passionis Christi.

2943. Sacramentalia sunt, *caeremonia quaedam ab Ecclesia instituta ad ornatum, & sollemnem ritum Sacramentorum.* Talia sunt: Oratio Dominica, aspersio aquae benedictae, largitio elemosynae, benedictio Episcopi, &c. Haec à Sacramentis differunt, quia venialia remittunt non ex natura sua, & ex opere operato, quia pro illis nullibi constat de institutione Christi; sed ex opere operantis, quatenus ex impetratione Ecclesiae excitant in nobis motum internum virtutis poenitentiae venialium; qui motus internus sufficit, quod sit poenitentia formalis, vel virtualis, vel qui referat usum Sacramentalium ad talem finem; sed ex Scoto, in 4. d. 21. q. 1. lit. E. Quique effectus non est infallibilis, quia non est fundatus in aliqua pro-

misione, sed impetratione; qua ratione pluribus orationibus, & caeremoniis utitur in benedictione aquae, &c. Ita Maltrius.

2944. Et quavis martyrium conferat primam gratiam ex opere operato ex promissione Christi: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.* Item: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*: Non est tamen Sacramentum; quia non est à Deo institutum in signum commune gratiae, nec est actio quaedam sacra ad Deum ordinata; sed passio, quae ex speciali privilegio Christi habet gratiam conferre patienti.

2945. Institutor igitur Sacramentorum est Christus, ut Deus tanquam causa principalis, ut homo tanquam instrumentalis, seu ministerialis; quia sicut Deus solus, ut causa principalis potest producere gratiam; ita solus Deus potest signum instituire, quod illam significet.

2946. Dicitur *efficaciter significans*; quia Sacramentum non est signum speculativum significans id, quod causatum supponitur, ut fumus significat ignem; sed signum practicum efficaciter causat gratiam, quam significat, quatenus efficaciter causat gratiam, quam significat, & non ponitur ob ex parte recipientis. Causat autem gratiam, vel physicè, ut vult D. Thomas, vel moraliter, ut docet Scotus: de quo Scholastici.

DE MATERIA, FORMA, ET INTENTIONE.

2947. **S**acramenta sunt quaedam composita moralia, ac proinde ad similitudinem compositi physici, constant rebus tanquam materia, & verbis, aut aliquo illis aequivalente tanquam forma; insuper intentione Ministri. Res dicuntur materia: quia sunt indifferentes, & passivè se habent ad hoc, vel illud significandum; verba dicuntur forma, quia res ad hoc significandum determinant: sic in Baptismo aqua, quae est indifferens ad hanc, vel illam abluionem significandam, est materia; verba autem: *Ego te baptizo* eam determinant ad significandam abluionem spiritualem.

2948. Materia, & forma sunt partes essentiales Sacramenti; intentio verò Ministri est conditio sine qua non, ita ut sine ea Sacramentum sit invalidum; quia Sacramentum debet exerceri modo humano, adeoque debet esse volitum. Intentio Ministri debet esse actualis, aut virtualis, quam vide in 3. tom. 2. num. 206.

De Sacram. in genere.

2949. In recipiente adulto requiritur intentio, quae sufficit, quod sit habitualis: non sic in Ministro; quia plus requiritur ad agendum, quam ad recipiendum: unde in recipiente sufficit, ut aliquando intenderit, & nunquam revocaverit, seu ut non intelligatur repugnare Sacramento, quod recipit. Maltrius cum aliis. Vide in pag. 7. propof. 28. ab Alex. VIII. damn.

2950. Materiae, & formae Sacramentorum fuerunt omnes à Christo institutae, sed non singulae in particulari, & in specie; aliqua namque fuerunt à Christo institutae in genere, determinandae in particulari, & in specie ab Apostolis, vel Ecclesia, quae in particulari usurparet rem sensibilem, & verba apta ad exprimendam significationem illam, ad quam exprimebam fuerunt Sacramenta illa à Christo instituta. Ita Doctores com. Maltrius disp. 16. num. 16. Gonet de Sacram. in man. tract. 2. cap. 2. & tract. 6. cap. 3. Gobat tom. 1. tract. 3. num. 51. Vide tom. 3. num. 166.

2951. Si circa materiam, aut formam fiat mutatio substantialis, Sacramentum est invalidum, quia materia, & forma fuerunt à Christo institutae. Validum verò est, licet regulariter illicitum, si mutatio sit accidentalis. Mutatio tunc dicitur substantialis, quando secundum communem usum, & existimationem, non manet eadem res in substantia, nec eadem significatio in verbis. Hinc invalidum est Sacramentum ex defectu materiae, si consecratur materia cruda, aut si quis baptizat aqua artificiali; quia secundum communem usum, & existimationem, nec illa est panis, sed vulgò *passa*, nec ista est aqua elementaris; validum est, si panis sit ater, non albus, & aqua sit calida; quia est mutatio accidentalis. Vide tom. 3. num. 166. & 196.

2952. Invalidum est ex parte formae, si magna fiat verborum interruptio, ut moraliter non connectantur, vel si forma profertur divisim à pluribus, v. gr. unus dicat: *Ego te baptizo*; alius: *In nomine Patris*, &c. quia tunc sunt duae formae; & sensus falsus: validum verò, si dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creavit*, &c. quia mutatio est accidentalis. Ita Maltr.

2953. Item ad valorem Sacramenti requiritur simultas, quae (ut advertit Scotus in 4. d. 6. quest. 3. lit. B.) sufficit, quod sit moralis, sicut Sacramentum est compositum morale, & tanta quanta in actibus humanis, tanta scilicet, quanta iudicio prudenti sufficit ad verificandam verborum significationem. Non potest autem certa regula tradi, sed propinquitas temporis debet esse major, vel minor, juxta varias Sacramentorum conditiones.

2954. In consecratione Eucharistiae, materia debet esse praesens, quia hoc indicant pronomia demonstrativa *Hoc, Hic*. In Sacramento Poenitentiae admitti potest major distantia temporis inter accusationem, & absolutionem, quia est actus iudicii, in quo accusatio praecedit sententiam. Sic in Matrimonio multò majus tempus intercedere potest inter con-

sensum unius, & alterius conjugis, quantum sufficit, ut unus censetur moraliter permanere, ut in caeteris contractibus. Denique in Baptismo, Consecratione, Ordine & Unctione, talis conjunctio requiritur, ut dum Minister verba profert, censetur moraliter lavare, &c. ad quod sufficit; quod materia, & forma sint simul quoad aliquas sui partes, nempe ut non finiatur, v. gr. ablutio, priusquam incipiant verba, vel ut non finiatur verba, priusquam incipiat ablutio. Ita Maltrius.

MINISTER SACRAMENTORUM

2955. **D**ebet esse in gratia: si sit in mortalibus, illicitè & sacrilegè conficit, sed valide: pro Eucharistia conscientia, & recipienda debet praemittere confessionem; pro aliis Sacramentis exercendis sufficit contritio putata. Vide num. 3. num. 279.

2956. Si Sacramentum conficiat ex pravo fine, sacrilegium committit, sed validè conficit, si habeat intentionem faciendi, quod Ecclesia intendit.

2957. Sacrilegium committit, si administrationem Sacramenti simulet, etiam si metus gravis id urgeat, sive simulatio sit formalis, facta scilicet cum intentione decipiendi, sive materialis, facta sine intentione decipiendi, sed alio fine. Quia talis simulatio est gravis irreverentia facta Deo, & Sacramentis; quoniam fingit, se dispensare merita Christi, ac proinde illud Christo, & propterea simulatio in Sacramentis est ab intrinseco mala, & hac ratione non excusatur metus gravis.

2958. Suaeatur ex cap. de Homine, de Celebr. Miss. ubi Innoc. III. damnat factum eujusdam Sacerdotis, qui ex quo reperiebatur indignus, & adstrictus ad celebrandum, ad satisfaciendum populo, sinxit celebrare, & suppressis verbis consecrationis, non consecravit, sed panem, & vinum purum sumpsit; factum, inquam, damnat his verbis:

(Cum ergo falsa sint adjicienda remedia, quae veris sunt periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputavit se indignum, peccet graviter, si se ingerit irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud praesumpserit simulare; cum ille in foliis misericordiae Dei manum incidat, ille verò non solum Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se adstringat.)

2959. Hinc resolves. 1. Si haereticus minaretur mortem Sacerdoti, nisi totum panem in platea venditioni expositum consecraret, non liceret Sacerdoti proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi. 2. Si poenitens absolutione indignus minaretur mortem Confessorio, nisi distinctè verba absolutionis profertur, non posse ea proferre sine intentione absolvendi. Ita Cardenas d. 21. qui num. 63. addit, quod talis Confessorius ad mortem vitandam, posset tunc dicere verba absolutionis: *Ego te absolvo*, cum intentione absolvendi à censuris, pronun-

nunciando submissa voce *à censuris*, & retinendo *à peccatis*; quia hoc pacto non est forma Sacramentalis.

2960. Concedit autem, quod Confessarius, qui penitentem absolutione indignum reperit, quatenus v. gr. est in occasione peccati, quam non vult relinquere, ne prodar apud adstantes penitentis indignitatem, possit obmurmurando recitare *Pater noster*, &c. quia ea non est in rigore simulatio Sacramenti; nam omnino materialiter se habet ad Sacramentum, nec sunt verba absolutionis; unde proprie est medium ad vitandam fractionem sigilli, ad quod Confessarius de Jure Divino tenetur, & deceptio adstantium, quæ sequitur, non intenditur, sed permittitur. Ita ille. *Vide in pag. 5. prop. 29. ab Imoc. XI. damn.*

2961. Non licet à malo Ministro non tolerato, sed ab Ecclesia interdicto, Sacramenta petere, nisi in articulo mortis, si non sit alius Sacerdos. Item nec licet ea petere à malo Ministro tolerato, quem tibi certo constat esse in mortali, nisi sit expositus, vel ei incumbat ex officio ministrare, v. gr. si sit Parochus, vel urgeat necessitas; quia id esset ad peccatum inducere, & cooperari. In dubio autem est præsumendus bonus. *Vide num. 371.*

EFFECTUS SACRAMENTORUM.

2962. Omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam habituales, seu sanctificantem, sive primam, ut Baptismus, & Pœnitentia, sive secundam, videlicet augmentum gratiæ præhabite, ut reliqua Sacramenta: ut autem hunc gratiæ effectum conferant, requirunt, ut non ponatur obex ex parte suscipientis; suscipiens enim adultus debet esse dispositus ad Baptismum; & Pœnitentiam, saltem per attritionem. Ad reliqua verò Sacramenta per gratiam; unde pro reliquis suscipiendis debet esse in gratia. Hinc Baptismus, & Pœnitentia dicuntur *Sacramenta moriuorum*; reliqua verò dicuntur *Sacramenta vivorum*; nam Baptismus, & Pœnitentia conferuntur homini existenti in peccato, quod; si est mortale, est mors animæ. Cætera autem conferuntur homini existenti in gratia, quæ est vita animæ. *Vide num. 2930. & tom. 3. num. 12.*

2963. Ultra gratiam sanctificantem communem, Sacramenta causant gratias particulares ab illa distinctas, quæ dicuntur gratiæ Sacramentales, & sunt *particularia quædam auxilia, quæ Deus opportuno tempore dare decrevit Sacramenta debite recipientibus.*

2964. Et in specie: Per Baptismum regeneratur. Per Confirmationem roboratur ad fidem Christi constanter consistendam.

Per Eucharistiam conferuntur subsidia ad perseverandum in gratia, & tentationes vincendas.

Per Pœnitentiam poena æterna commutatur in temporalem. Per Extremam Unionem conferuntur auxilia ad resistendum tentationibus in mortis articulo occurrentibus.

Per Ordinem conferuntur auxilia ad dignè exequendum Ministeria Sacra. Et per Matrimonium auxilia ad ejus sustinenda onera, & prolem rectè educandam.

2965. Ultra effectum gratiæ, Baptismus, Ordo, & Confirmatio imprimunt characterem in anima, qui est indelebilis; non sic reliqua: ac proinde priora tria sunt irreiterabilia, ut non valeant sine sacrilegio reiterari, & reliqua verò possunt reiterari.

2966. Character est, *signum quoddam spirituale, quod anima imprimitur.* Est veluti sigillum indelebile, quod ab anima per peccatum non deletur; imò in ea permānet post mortem, sive beata sit, ad splendorem, sive damnata, ad confusionem. *Vide tom. 3. num. 10. & 183.*

NUMERUS, ET SUBJECTUM.

2967. Sacramenta novæ legis sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Est de fide, ex Trident. *sess. 7. can. 1.* Fuerunt instituta septem per analogiam inter vitam corporalem, & spirituales. Hinc 1. Generationi correspondet Baptismus. 2. Augmento, Confirmatio. 3. Nutrimto, Eucharistia. 4. Medicinæ post morbum, Pœnitentia. 5. Adjuutorio ad tollendas reliquias morbi, Extrema Unctio. Reliqua duo spectant ad perfectionem Reipublicæ Christianæ. Ordo, namque ordinatur ad propagationem spirituales. Matrimonium verò ad propagationem corporalem.

2968. Subjectum capax Sacramentorum est solus homo viator, quia pro ejus salute fuerunt à Christo Sacramenta instituta, ut ex definitione *num. 2940. Vide tom. 3. num. 17.*

Scotus in 4. d. 1. q. 2. lit. F. d. 3. q. 2. lit. M. Na. d. 8. q. 1. lit. H. d. 26. q. unica. lit. K. d. 40. q. unica. lit. F. d. 1. q. 3. lit. L. d. 2. q. 1. lit. F. d. 1. q. 5. lit. A. d. 2. q. 2. lit. C. d. 2. q. 2. lit. A. d. 6. q. 10. lit. K. d. 1. q. 3. lit. D. d. 2. q. 1. lit. D. E. Maltrius *disp. 16.* Joan. la Cruz de *Sacram. in gen. per 4. q. Leander de Sacram. tract. 1. Tamb. tom. 2. lib. 1. Busemb. lib. 6. tract. 1. Clericatus cap. 114.*

C A P U T II.

D E B A P T I S M O.

2969. Baptismus communiter definitur cura Mag. Est, *ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum melius ex Catechismo Trid. Est, Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

2970. Est Sacramentum necessarium ad salutem necessitate mediæ; in re, aut saltem in voto; si non possit adhiberi in re.

Necessarium necessitate præcepti est illud, quod est necessarium, in quantum præceptum est, & ad

vi-

vitandum peccatum: hinc ab eo excusat involuntarium. Necessarium verò necessitate mediæ est illud, quod habet influxum in salutem, sine quo salus nullo modo obtineri potest; ita ut in tantum sit præceptum, quia medium necessarium: hinc ab eo involuntarium non excusat, adeoque infantes decedentes sine Baptismo, non salvantur.

Sacramentum igitur Baptismi est necessarium necessitate mediæ, & præcepti, ut constat ex Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

2971. Est triplex: Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptismus Fluminis est Baptismus per aquam jam definitus, qui est in re, & proprie Baptismus. Flaminis est dolor perfectus peccatorum, seu contritio cum voto, seu proposito recipiendi Baptismum in re. Sanguinis, est martyrium. Uterque supplet, & gerit vices Baptismi fluminis, conferendo remissionem omnium peccatorum, tam actualium, quam originalis, quando Baptismus fluminis adhiberi non potest. *Vide num. 2944.*

MATERIA, ET FORMA.

2972. Materia remota Baptismi est aqua elementaris ex fontibus, fluminibus, puteis, stagno, mari, etiam si per meatus sulphuris transferit, &c. apta communi usui ablutionis. Hinc non sufficit ad valorem, 1. Aqua artificialis, nempe aqua rosacea, aut alia destillata. 2. Nec jus carniæ, &c. ebullitione peracta, quia per ebullitionem aqua transit in substantiam cibi, ut non sit amplius aqua elementaris, ablutioni juxta communem usum apta; hac ratione jus carniæ frigidum jejunium. 3. Nec nix, aut gelu, nisi aliquo modo liquefiant, & fiant apta ad abluendum, quia tunc sunt aquæ elementares.

Eadem ratione aqua ex salis humiditate resoluta est materia valida, si sit ex fale maris; quia est aqua naturalis, quæ antea erat coagulata; sive aqua ex nive. Minimè, si sit ex fale petræ; quia non est sal ex aqua. Non obstat autem caliditas, si sit calida, colorata, turbida, quamdiu est vera aqua ad abluendum apta; quia sunt pura accidentia non variantia substantiam materiam; seorsus, si sit ita mixta, ut non amplius sit aqua, cujusmodi est lixivium. *Vide à num. 75.*

2973. Certum est, liquorem ex Vite, Arbore, &c. salivam, & sudorem non esse materiam aptam.

2974. Materia proxima est ablutio corporis, quæ debet esse sensibilis, ut aqua corpus tangat. Ablutio fieri potest tripliciter: 1. Per immersionem alicujus partis corporis baptizandi in aquam. 2. Per effusionem aquæ in corpus; ut in Ecclesia Latina. 3. Per asperisionem, ordinariè loquendo aqua debet esse benedicta, & pars corporis abluenda debet esse caput, aut aliqua pars principalis, aliàs esset mortale. In casu verò necessitatis, sufficit qualibet aqua juxta *num. 2972.* & qualibet pars corporis.

2975. Si ablutio fiat in digito, pede, in solis capillis, aut si abluatur infans secundum circumdantiam, aut si ablutio fiat per unam, vel duas guttas aquæ, dubius est Baptismus, quia dubium est, an verè dicatur ablu corpus, & homo; ac proinde extra casum necessitatis est illicitus; imò sic in casu necessitatis collatus, est postea sub conditione repetendus. *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. Vide à num. 75.*

2976. In casu necessitatis, seu quando infans est in periculo mortis, si antequam fuerit egressus, appareat solum caput, potest baptizari in capite. Imò si infans videatur moriturus, etiam intra uterum baptizari poterit, si obsterix sit oded perita, ut manu intra matris uterum illata, supra infantis corpus possit aquam perfundere. Ita *Ardekin.*

2977. Infans in periculo mortis, si non adsit aqua, non potest projici in puteum; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: at si fiat, erit validè baptizatus.

2978. Forma in Ecclesia Latina sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* In Ecclesia Græca: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, &c.* habetur ex verbis Christi, Matth. 28. v. 19. Certus est, & tutus sub hæc forma: *Ego te abluo in nomine, &c. Ego lavo, &c. Validus est sub forma Dalmatina: Ego te Christianizo: vel: Ego te Christianum facio, si hæc verba ibi significant: Ego te abluo, vel te baptizo.* Clericatus *cap. 115. num. 19.*

2979. Invalidus est Baptismus. 1. Sub hac forma: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, prætermisiss illis: Ego te baptizo, quia non exprimitur actio abluendi.* *Vide in pag. 7. prop. 28. ab Alex. VIII. damn.*

2. Sub hac forma: *Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. vel si dicatur: Ego te baptizo, in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti; quia non exprimitur unitas essentia, sed multiplicatur nomina.* 3. Sub hæc *Ego te baptizo in nomine Sanctissime Trinitatis, vel in nomine Christi; quia est necessaria explicita expressio personarum.* 4. Sub hæc: *Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu Sancto; quia variatur significatio; nam particula Cum significat societatem ministerii.* 5. Sub hæc: *Ego te baptizo ex parte Patris, ex parte Filii, & ex parte Spiritus Sancti; quia etiam variatur significatio, nam baptizans exprimitur non tamquam Minister principalis, sed tamquam procurator.*

2980. Dubius est Baptismus, & inde repetendus sub hac forma: 1. *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque.* 2. *In Patre, Filio, & Spiritu Sancto.* 3. *In uno Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto.* 4. *In virtute Patris, &c. 5. Si omittatur ly Sancti. Vel si omittatur ly in. 6. Si personæ exprimentur ordine inverso. Est certè invalidus etiam in casu necessitatis per solos natus sine verbis, etiam per matum.*

2981. Baptismus sub hac forma ab Obsterice.

Sicula in necessitate factus: *Io i. Ingravato in nome del Padre, è del Figlio, è dello spirito Santo*: videtur validus; quia *Ingravato* est verbum Græcum, quod probabiliter censetur, quod significet *lavare*. At ritè Tamb. eum pronunciat invalidum; quia licet significatio probabiliter sit talis, in Sicilia tamen ex communi usu, & acceptione, verbum illud *Ingravato*, non significat actum ablutionis, sed totum aggregatum facti in repentina necessitate.

2982. Hæretici, qui convertuntur ad fidem, non sunt sub conditione rebaptizandi, nisi adfit dubium, an adhibita fuerit debita materia, aut forma. Imò nec suppleri solent cum illis cæremoniæ ad vitandum scandalum, ne rudes putent, Baptismum ab hæreticis sub debita materia, forma, & intentione collatum, esse invalidum.

MINISTER

2983. **D**ebet esse distinctus, quia idem non potest generare se ipsum. Minister solemnitatis est Sacerdos solus, cui ex officio incumbit, nempe Parochus, & ex ejus commissione, aut defectu quilibet alius Sacerdos, qui in aliquo casu potest esse Diaconus; extra casum verò necessitatis nulli alteri licet sine mortali; validus autem esset Baptismus.

2984. In casu necessitatis, videlicet in probabili periculo, quod quis moriatur sine Baptismo, nisi statim baptizetur, validus simul, & licitus Minister hujus Sacramenti est quilibet homo usum rationis habens, debitam materiam, & formam adhibens cum intentione faciendi id, quod Ecclesia intendit, sive Sacerdos sit, sive Diaconus, sive Subdiaconus, sive Clericus, sive Laicus, sive vir, sive femina, sive fidelis, sive infidelis, sive excommunicatus. Præfatum ordinem sine rationabili causa pervertere est peccatum mortale, si adfit injuria gravis, ut si, præfente, & volente Parocho, baptizet simplex Sacerdos, aut præfente Sacerdote, Laicus; veniale verò, si injuria sit levis, ut si, præfente viro laico, baptizet femina. At nullum erit peccatum, si major sit præfens, sed non velit; vel si minor faciat ex inadvertentia, aut conturbatione, quia est promptior; quæ in his casibus repentinis contingere solent.

2985. Sic dato Baptismo, si baptizatus vivat, solum supplicia sunt à Parocho cæremoniæ, & solemnitates in publico Baptismo solitæ, si adfit certitudo, quod fuerint adhibita debita materia, forma, & intentio; quæ si certò non consent, est reiterandus sub conditione.

Non licet recipere Baptismum ab hæretico; imò adultus ab eo recipiens est irregularis, & ad Ordines promoveri non potest, ex *cap. in qualibet* 1. q. 7. *cap. Ventum* 1. q. 1. nisi baptizatus fuisset infans, aut in periculo mortis; hæreticus enim, & infidelis, ex Trident. *sess. 7. can. 4. de Baptis.* validè baptizatus, si intendat scire, quod facit Ecclesia. Clericus *cap. 115. num. 39. & 51.*

Imò baptizatus à Calvinistis esse verè baptizatus, ita ut non sint iterum baptizandi, etiam sub conditione, habetur ex Declar. Sacr. Congreg. Conc. apud Fagnanum *lib. 1. Decr. cap. Quoniam* 13. *Constitutum* 24.

2986. Validus est Baptismus, si Minister credat, se baptizare masculum, cum sit femina; quia errat speculative, non practice, nam practice suam intentionem dirigit in personam præsentem. Sicut validè absolvit Confessarius penitentem, quem putabat masculum, cum sit femina.

2987. Hac ratione Fenech. *de Forma Bapt. num. 30. cum pluribus addit*, quod in casu, quo Episcopus ante ordinationem admeorat juxta Ritum Pontificalis: *Se non intendere ordinare excommunicatum, irregularem, Clericum alterius Diocesis sine legitimis dimissionibus, &c.* si quis ex his ad Ordines accedat, validè sit ordinatio, & non repetenda; quia in particulari, & practice ordinare intendit hunc præsentem; adeoque protestationem illam esse ad terrorem, ut si quis talis sit, recedat, & non illicitè ordinetur.

Id tamquam longè probabilius cum multis tenet Leander *tract. 6. de Ordine, disp. 4. q. 5. & probat* his verbis: *Quod inde evidenter colligitur, quia post ealem protestationem, statim solet ordinandos à quacunque excommunicatione absolvere, & ab omni irregularitate dispensare, ad effectum dumtaxat ordinis validè suscipiendi, ut habetur in Pontificali: Teque absolventes ad effectum presentium assequendam.* Hæc Leander. Idem docet Tamb. *tom. 1. lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 26. Gobart tom. 1. de Ord. tract. 8. num. 704.* Utdè id est moraliter certum.

2988. Unus in necessitate potest per aspersonem baptizare plures, utendo hac forma: *Ego vos baptizo, &c.* quia non mutatur, nec forma, nec sensus, nam *ly Vos*, idem est, ac *te*, & *re*.

2989. Item validè duo simul baptizant, si quilibet abluat, & formam proferat, ac independentè ab intentione alterius, sicut in Missa Ordinationis omnes Sacerdotes confecerant.

2990. Invalidè autem, si unus solum abluat, alter solum formam proferat; ut contingeret, si quis esset baptizandus, & non adesset, nisi duo, unus sine lingua, alter sine manibus, quia tunc forma receditur falsa, nam non dicitur cum veritate baptizare, & abluere, qui solum dicit: *Ego te baptizo, seu abluo*, non tamen ipse, sed alius abluat.

SUBJECTUM BAPTISMUS

2991. **E**ST, omnis homo natus. Monstrum ex viro, & muliere genitum est baptizandum, quia constat corpore & anima rationali. Si constat, quod habeat duas animas, bis est baptizandus; tale est si habeat duo capita, aut duo corpora divisa. Si dubitetur, an duas habeat animas, ut si habeat duo capita cum uno pectore; aut duo pectora sub eodem capite bis Baptismus conferri debet, unus absolute in illa parte in qua perfectius apparer caput, alius sub conditione in altera parte.

Si non es baptizatus, vel si es capax, Ego te baptizo, &c. Hæc Fenech.

2992. Filii Christianorum baptizari debent, non expectato rationis usu, etiam invitis parentibus, si id fortè contingat. Idem dico de filiis infidelium jam baptizatorum, qui v. gr. apostataverunt à fide; quia sicut Ecclesia potest ipsos parentes cogere penis ad servandam fidem, ita potest ab ipsis filios eripere, & baptizare.

2993. Filii verò infidelium numquam baptizatorum, validè baptizantur, invitis parentibus; sed illicitè, si parentes non sint sub dominio Principum Christianorum, vel si solum sint tributarii, aut vassalli, ob periculum subversionis. Tum quia per hoc, quod sint vassalli, non amittunt jurisdictionem, & potestatem dominativam in filios.

Licet autem eos baptizare, si ipsi pueri post usum rationis petant, aut ante usum rationis sint in periculo vitæ jam jam morituri; quia tunc cessat periculum subversionis.

2994. Item licet eos baptizare, invitis parentibus, si parentes sint principia Christianorum; quia tunc domini dominium habent, tam in parentes, quam in filios, ut eos vendere possint, & separare.

2995. Denique possunt, invitis parentibus, baptizari, si unus parentum sit fidelis, quia proles sequitur originem parentis Christiani, cujus conditio est melior; ac proinde ratione originis fit subdicius Ecclesiæ.

DISPOSITIO SUBJECTI.

2996. **I**N infantibus ante usum rationis, & in perpetuo amentibus à nativitate intentionem, & dispositionem supplet Ecclesia, ob eorum incapacitatem: unde nulla in illis requiritur dispositio moralis; tam ad validè, quam ad fructuosè recipiendum Baptismum.

2997. In adultis verò sunt necessariae tres dispositiones. 1. Est *consensus internus*, quia Deus neminem invitum vult suæ familiæ adscribi: habetur ex *Prov. 23. vers. 26. Probe, fili mi, cor tuum mihi*. 2. Est *Fides*, juxta illud *Marc. ult. vers. 26. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* quæ fides ante Baptismum sufficit, quod sit actualis. 3. Dispositio necessaria in adultis, qui cum originali mortale aliquid conjunctum habent, est *penitentia*, seu dolor peccatorum commissorum, qui sufficit, quod sit attritio: habetur ex *Act. 2. vers. 38. Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu-Christi in remissionem peccatorum, &c.*

2998. Hæ tres dispositiones ita se habent, ut sola prima sit necessaria ad Baptismum validè suscipiendum; reliquæ autem duæ solum sint necessariae ad Baptismum fructuosè suscipiendum, nempe cum effectu gratiæ; unde si quis adultus sine actu fidei, & doloris peccatorum commissorum Baptismum susciperet, validè cum susciperet, quia caracterem reciperet; non tamen fructuosè, quia non reciperet gratiam, & cæteros effectus ex illa pendentes; recedente

te verò fictione, nempe positus actu fidei, & doloris, gratiam, & cæteros effectus reciperet absque reiteratione Baptismi, ex vi præteriti Baptismi; quia Sacramentum irreiterabile non debet carere suo fructu, recedente fictione recipientis. *Vide num. 3085.*

2999. Ubi nota, quod quando dicitur, quod fictè recipiens Baptismum, recedente fictione gratiam acquirat, nomine *fictionis* non intelligitur defectus primæ dispositionis, nempe consensus interni, quia sic neque validè Baptismum reciperet; sed defectus actus fidei, & doloris.

3000. Hinc qui vi, vel metu ductus Baptismum suscepit, validè suscepit, si habuit intentionem illum verè suscipiendi, quia metus non tollit intentionem, & voluntarium simpliciter.

3001. Validus est Baptismus collatus amenti, aut dormienti, si ante, dum intervallum rationis habuit, petiit, quia sufficit intentio habitualis. *Vide num. 2949.*

EFFECTUS BAPTISMUS

3002. **S**unt, 1. gratia habitualis, seu habitus charitatis; infunduntur enim in susceptione Baptismi tres habitus supernaturales, Fides, Spes, & Charitas, per quam gratiam deletur peccatum originale, una cum omnibus actualibus ante Baptismum commissis.

2. Est remissio totius penæ; Baptismus enim delet omnem culpam, & penam: est de fide definitum in Concil. Florent. *Baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis præteritis.*

3. Est caracter, quo signatur intra familiam Christi. Item conjungit moraliter hominem cum Christo, tamquam membrum cum capite, eumque subjicit jurisdictioni Ecclesiæ.

Denique est janua omnium Sacramentorum. *Vide tom. 3. num. 19.* ita ut non baptizatus non possit validè ad Ordines promoveri. *Vide in pag. 7. prop. 19. ab Alex. VIII. damn.*

P A T R I N I.

3003. **I**N Baptismo solemniter requiritur Patrimus. Patrimus dicitur non ille, qui puerum tenet in cæremoniis antecedentibus Baptismum, quia hic dicitur susceptor in Catechismo, seu instructione sed ille, qui tenet puerum in fonte, dum baptizatur, qui tamen solet esse idem; qui non potest esse, nisi unus, mas, aut femina, aut ad summum duo, mas, & femina: ex Trident. *sess. 24. cap. 4. de Reformat.* quibus incumbit cura instruendi puerum super rebus fidei, licet hæc obligatio non vigeat inter Catholicos, ubi pueri plures, & aptiores habent instructores.

3004. Maritus, & uxor possunt simul aliterum filium levare de rigore præcepti, at non de honestate; quia caput, quod autem 30. q. 4. est consilium, non præceptum. Clericus *cap. 115. num. 60.*

3005. Non possunt esse non baptizati, sicut nec in Confirmatione non confirmati, neque hæretici.

Prohibetur ex jure Monachis esse Paternos. Parens non debet propriam prolem suscipere, quia aliàs contraheret cognationem spirituales cum conjugate, ob quam non possent debitum petere. Nisi baptizaret in casu necessitatis; tunc enim non amittit jus petendi. Episcopus autem post super tali impedimento petendi debitum dispensare. Clericatus cap. 115. num. 61.

3006. Non licet avo, vel avia suscipere nepotem, vel neptem; quia continentur sub prohibitione patris, & matris. *L. Justa 201. ff. de Verb. signif. Clericatus cap. 115. num. 62.*

3007. Nec licet Monachis, & Regularibus esse Paternos; nam licet prohibitio in cap. Non licet Abbati, sit expressa pro Monachis, est servanda à ceteris Regularibus, nam in Rituali habetur: *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, nec alii cujusvis Ordinis Religiosi à seculo segregati.*

3008. In Baptismo privato non requiritur Paternus; qui si adhibeatur, cognationem spirituales non contrahet; quia jura de Baptismo solemnibus loquuntur, adeoque non extendenda ad privatum.

3009. Insuper nec cognationem spirituales contrahunt Paterni in Baptismo solemnibus tenentes puerum, in domo privatum ob vitæ periculum ab Obstetricibus baptizatum. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 62. Tambur. de Baptismo. cap. 1. §. 8. num. 3. quia jura loquuntur de Baptismo solemnibus, & absoluto.

3010. Non contrahitur cognatio, nisi Paternus tangat baptizandum, aut confirmandum in ipso actu Baptismi, seu Confirmationis; quia jura requirunt, ut teneat in fonte baptizandum, dum baptizatur, &c. Unde non sufficit sola assensio, aut responsio ad Catechismum, vel quod baptizatum è manu Sacerdotis recipiat post Baptismum. Tambur. tom. 2. pag. 13. §. 4. & pag. 18. cap. 4. cum Com.

3011. Hinc Joseph de Augustino, & Tambur. de Bapt. dicunt, quod si quis suscipiat per Procuratorem non contrahit cognationem, nec ipse, nec Procurator. Non ipse; quia non ipse tenet, cum non tangat. Nec Procurator; quia licet teneat, non tenet nomine proprio. At Clericatus cap. 115. num. 63. tenet, contrahi à mittente, non à Procuratore, & ita decidisse S. Congr. refert ex Coton. lib. 2. contr. 2. num. 90. & ex Nicol. Elucubr. Civil. tom. 1. pag. 50.

3012. Non contrahitur cognatio, nisi à susceptore baptizato, nec in Confirmatione, nisi à susceptore confirmato; unde non contraheret Catechumenus. Diana part. 10. tract. 16. ref. 39.

3013. Paternus suscipiens filium infidelium non contrahit cognationem cum ejus parentibus infidelibus, nisi postquam venient ad fidem, & quo casu esset attendenda cognatio. Clericatus cit. num. 57. cum Sylv.

Vide infra de Matrim. Verb. Cognatio spiritualis.

Scotus in 4. d. 3. q. 1. litt. D. E. q. 2. litt. D. H. p. d. 18. q. unic. litt. H. d. 4. q. 1. litt. A. q. 5. litt. H. d. 6. q. 2. litt. G. d. 6. q. 2. litt. A. C. d. 7. q. 1. litt. D. d. 5. q. 2. litt. A. C. D. E. F. G. disp. 4. q. 4. litt. D. H. q. 5. litt. A. C. d. 6. q. 9. litt. M. d. 6. q. 7. litt. A. B. d. 24. q. unic. litt. I. d. 4. q. 6. litt. C. d. 5. q. 3. litt. A. d. 3. q. 2. litt. G. I. N. O. d. 6. q. 2. litt. A. Maltrius in Theol. Mor. disp. 17. Joan. la Cruz pag. 297. Leander de Sacram. tom. 2. Tamb. tom. 2. lib. 2. Bulemb. lib. 6. tract. 2. cap. 1. Clericatus cap. 115.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

3014. **C**onfirmatio est, Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, sub præscripta forma verborum ad fidei robur consequendum.

3015. Materia remota, est Chrisma consecratum ex oleo olivarum, & balsamo. Balsamum esse de necessitate Sacramenti, est tutius. Chrisma vero debet esse ab Episcopo benedictum, aliàs Sacramentum esset nullum; quia sic fuit à Christo pro materia institutum. Cardenas disp. 2. num. 45.

3016. Materia proxima, est Unctio facta in fronte in formam Crucis.

3017. Unctio fieri debet immediate manu, vel digito Episcopi; unde non est tutum, si fiat instrumentum.

3018. Forma sunt verba: *Ego signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Omnia præter Amen sunt necessaria ad valorem.

3019. In collatione hujus Sacramenti additur alapa, qua confirmatus percussitur, ut memor sit, se hoc Sacramentum recepisse, adeoque non audeat iterum ad illud accedere, cum non sit iterabile. Et insuper, ut intelligat, debere pati injurias pro Christiana fide profuturam. Hæc Fenech. ex Tol.

3020. Non peccat mortaliter Episcopus, si omittet dare alapam. Clericatus cap. 116. num. 25. cum Com.

3021. Non incurrit irregularitas per reiterationem Confirmationis. Clericatus cit. num. 29. quia jura solum loquuntur de reiteratione Baptismi; & ex cap. Qui 15. de Sent. Excom. in 6. irregularitas nulla incurritur, nisi sit expressa in jure.

3022. Minister hujus Sacramenti est solus Episcopus. Unde non sufficit, si fiat à simplici Sacerdote ex commissione Episcopi, bene vero ex commissione Papæ; quia hoc concessit Greg. I. & pro Indiis Greg. XIII. Quoties autem Summi Pontifices è duabus opinionibus eligunt unam, illam proponunt sequendam, & reddunt certam. Sieri num. 137.

3023. Quamvis ex jure non liceat Episcopo alienum subditum in sua Diocesi confirmare, consuetudo tamen id licitum reddidit; quia præsumitur

CAPUT IV.

DE POENITENTIA.

tur consensus proprii Episcopi. Diana part. 2. tract. 17. ref. 17. & part. 4. tract. 4. ref. 50. Clericatus cit. num. 15.

3024. At non potest in aliena Diocesi proprium subditum confirmare, nisi de licentia Episcopi loci; aliàs incurrit ipso jure suspensionem, ex Trid. sess. 6. de Reform. cap. 5.

3025. Non peccat Episcopus, si ex justa causa ad sui arbitrium administrationem hujus Sacramenti per tres, aut quatuor annos retardet. Et potest quacumque die, etiam feriata, ministrare, & tempore interdicti, ex cap. Quoniam, de Sentent. Excom. in 6.

3026. Subiectum, est omnis homo baptizatus, sive infans sit, sive adultus. Usus est, ut non conferatur pueris ante usum rationis, ut recordentur, se illud recepisse.

3027. Sed in hoc (ait Clericatus cap. 116. num. 26.) exuberat arbitrium Episcopi, itaut, secluso scandalo, etiam puerum trium annorum possit confirmare absque peccato; & semper in dubio debet inclinare ad favorem pueri petentis Sacramentum, ne ob varia rerum discrimina contingat, ipsum mori absque gratia hujus Sacramenti. Jord. ibid. num. 46. 37. & 48. Coton ubi supra num. 42. & quod in articulo mortis possunt statim confirmari nedum adulti, sed etiam infantes, ac etiam perpetuo amentes.

3028. Imò conferri posse amentibus, ne priventur effectu gratiæ hujus Sacramenti, absolute docent alii.

3029. Suscipiens debet esse in gratia, aut in ea poni statim per contritionem putatam. Idem die de Ministro conferente.

3030. Paternus unus tantum esse debet, ex cap. Non plures, de Consecr. dist. 4. & Trid. solum in Baptismo concessit unum, & unam, cui accedit praxis. Clericatus cit. num. 30. Vide à num. 3005. ad 3013.

3031. Effectus hujus Sacramenti sunt. 1. Augmentum gratiæ habitualis. 2. Carácter, quo signatur ut miles intra militiam Christi, ad fidem cum robore propugnandam, juxta illud S. Melchias, ex Trident. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. 3. Est cognatio spiritualis de qua in Matr. Vide num. 3004.

Scotus in 4. d. 2. q. 1. litt. C. dist. 7. q. 1. litt. A. B. D. E. F. q. 4. litt. A. dist. 42. q. unic. litt. K. Maltrius in Theol. Mor. disp. 17. q. 5. Joan. la Cruz pag. 315. Leander de Sacram. tract. 3. Tamb. tom. 2. lib. 3. Bulemb. lib. 6. tract. 2. cap. 2. Clericatus cap. 16. Meado.

DE EUCHARISTIA

3032. **E**us est actum est in 3. tom. à num. 187. & hic à num. 2914.

3033. **P**œnitentia Christiana dicitur secunda tabula post naufragium; in ordine ad Baptismum, qui dicitur prima tabula ad invenientiam salutem post commune naufragium per peccatum originale. Pœnitentia verò est secunda tabula ad invenientiam salutem post naufragium particulare per peccatum mortale post Baptismum commissum.

3034. Est duplex: Virtus, & Sacramentum. Pœnitentia virtus est, virtus, quæ dolemus de peccatis commissis; quatenus sunt offensæ Dei: & est ipsa contritio. Pœnitentia Sacramentum est, sacramentum reconciliationis hominis cum Deo ex peccatis commissis post Baptismum, virtute clarum, seu absolutiois Sacramentalis.

3035. Est Sacramentum necessarium necessitate mediæ, & præcepti ex Trident. sess. 14. cap. 2. ita ut quis, postquam mortale commiserit, salvari non possit nisi per Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto, elicendo actum contritionis. Vide in pag. 71. prop. 18. ab Alex. VIII. damn.

PARTES SACRAMENTI POENITENTIÆ

3036. **S**unt materia, forma, & satisfactio. Materia, & forma sunt partes essentielles; satisfactio integralis.

MATERIA

3037. **E**st duplex, remota, & proxima. Remota est peccatum; & est etiam duplex, necessaria, & sufficiens. Necessaria, est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, non jam ritè confessum, & absolutum. Sufficiens, est omne peccatum veniale, vel mortale aliàs ritè confessum, & absolutum. Vide num. 3048. Materia proxima, sunt tres actus pœnitentiæ. Cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio.

3038. Peccata dicuntur materia remota. 1. Quia sunt materia, supra quam cadit dolor, qui est materia proxima in ordine ad formam absolutiois, & Sacramentum. 2. Quia peccata sunt materia per formam absolutiois, & Sacramentum Pœnitentiæ removenda.

3039. Peccata ante Baptismum commissæ, nec possunt, nec debent esse materia Sacramenti Pœnitentiæ; quia spectant ad forum Baptismi, ex Trid. sess. 14. cap. 1. Commissa verò in instanti Baptismi sunt Sacramenti Pœnitentiæ materia; quia sunt peccata hominis baptizati.

3040. Peccata mortalia dubia, sive dubio positivo, sive negativo, de quo in num. 19. sunt necessarii aperienda in confessione. Volpi de Pœnitent. ref. 145. num. 3. Diana part. 3. tract. 4. resol. 107. quia aliàs quis se exponeret periculo peccandi, & errandi.